

In illa sunt tot personæ quot diversi flexus cognationis eâdem tamen distantia. *Flexus* autem *cognationis*, voco ipsa velut itinera in arbore consanguinitatis, lineas angulosque dum modo sursum deorsumve modo in latus itur. In hac non solum flexus cognationis varietatem facit, sed & sexus tum intermediarum, tum personæ cujus distantia quæritur à data. In illa enumeratione Patruus, Amita; id est, Patris frater sororve: Avunculus, Matertera; id est Matris frater sororque, habentur pro eadem persona, & convenientissimè intelliguntur in voce *Patruus*, quia masculinus dignior fœmininum comprehendit. Sed in enumeratione speciali habentur pro 4. diversis personis. Igitur illic *cognitiones*, hîc *personæ* numerantur: (Sic tamen ut plures fratres, vel plures sorores quia ne sexu quidem variant pro una utrobique persona habeantur) illa generalis computatio est *Caji in l. 1. § 3.* (quanquam specialis nonnunquam mixta est) hæc specialis Pauli in grandi illa *l. 10. D. de Grad. & Affinibus.* Etsi autem prior fundata est in prob. 1. & 2. quia tamen posterioris fundamentum est, quæ huc pertinet, præmittemus. *Cognatio* est formæ linea vel linearum à cognata persona ad datam ductarum; ratione rectitudinis & inflexionis, & harum alternationis. *Persona* h. l. est Persona datæ cognationis, & dati gradus, sexusque tum sui, tum *intermediarum*, inter cognatam scilicet & datam. *Datum* a. voco personam, eum eamve, de cuius cognatione quæritur ut appellant *JCti* veteres; Joh. Andreae *Petrucium* nomine sui Bidelli fertur nominasse: Fr. Hottomannus lib. de Gradib. Cognationum, *ἡ ἀποπροσθηκὸν*, latinè *Propositum*. *Terminus* est persona vel cognatio, quæ est de conceptu complexæ, v. g. *frater* est Patris filius. Igitur *Patris & Filius*, sunt Termini ex quibus conceptus Fratris componitur. Termini autem sunt vel *primi*, tales accurate loquendo sunt hi solum: Pater & filius, nos tamen commodioris computationis causa, omnes personas lineæ rectæ vel supra vel infra; supponemus pro primis; vel *orti*: accurate loquendo omnes qui plus uno gradu remoti sunt à Dato; laxius tamen, omnes transversales tantùm. Omnes a. trans-

versa-